



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CCLXIII. Gerichtliches Instrument über die Präsentation des Markgrafen Ludwig zu einer Altaristenstelle in der St. Katharinenkirche der Neustadt Brandenburg, vom 30. Nov. 1359.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

**CCLXII.** Päpstlicher Erlass an den Bischof und die Präpste von Brandenburg und Leisfan über die Emsammlung einer Kirchensteuer, vom 23. März 1359.

Philippus, miseratione divina Cavallicensis episcopus, apostolice sedis nuncius, commissarius ad infra scripta per sedem eandem specialiter et in solidum deputatus, reverendo in Christo patri, domino dei gratia episcopo et venerabilibus viris, dominis majoris civitatis et in Lizik, dioc. Brandenburg., ecclesiarum prepositis, commissariis nostris in civitate et dioc. Brandenburg. ad infra scripta per nos auctoritate apostolica deputato salutem et sinceram in domino caritatem. Ne in colligendis pecuniis camere apostolica debitis vel debendis ratione impositionis subsidii Biennalis procuracionum duarum per nos auctoritate apostolica impostarum in predictis civitate et diocesi Brandenburg. super quantitate et pecuniarum valore hesitari valeat quoquomodo per quemquam, cum fines mandati apostolici sint diligenter servandi, et sanctissimus in Christo pater et dominus noster, dominus Innocentius, divina providentia papa VI., in exigendo dicto subsidio ad formam constitutionis felicis recordationis domini Benedicti pape XII., que incipit: Vas electionis se referens quantitatem mandat recipi et monetam, in ipsa constitutione expressas vidimus verba dicte constitutionis, quantum contigerint partes Alamannie et adjacentes eidem sub sigillo nostro presentibus nostris inferi litteris, quas volumus a reverenda paternitate vestra ac alio, quem duxeritis deputandum una cum duobus seu uno ex vobis aliis commissariis nostris super premissis per omnia observari in prefato subsidio colligendo. Verba igitur constitutionis predictae sunt ista: In Alamannie quoque, Anglie, Ungarie, Bohemie, Polonie, Norhegie, Dacie, Scocie ac Suecie regnis ac terris, provinciis et partibus eis adjacentibus archiepiscopi et episcopi alique prelati, ut premititur, personaliter visitantes iidem archiepiscopi eciam si primates existant, a suis vel suffraganeorum suorum ecclesiis cathedralibus et personis earum, pro procuracione unius diei sive in victualibus sive a volentibus in pecunia ultra trecentorum et viginti, a monasteriis vero et aliis ecclesiis et prioratibus secularibus vel regularibus, habentibus collegium duodecim vel plurius personarum, ultra ducentorum et sexaginta, ab aliis vero monasteriis, ecclesiis seu prioratibus et locis ultra ducentorum et viginti, archidiaconi vero ultra quadraginta Turonensis argenti valorem recipere non presumant, et subditur in constitutione predicta porro, Turonensis argenti tales fore intelleximus, quorum duodecim valeant unum florenum boni et puri auri et legalis ponderis et cone Florentini. In quorum omnium testimonium etc. Datum Maguntie die vicesima tertia mensis Martii, anno nativitatis domini millesimo trecentesimo quinquagesimo nono, pontificii sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Innocentii divina providentia pape VI. anno septimo.

Nach dem Original.

**CCLXIII.** Gerichtliches Instrument über die Präsentation des Markgrafen Ludwig zu einer Altaristenstelle in der St. Katharinenkirche der Neustadt Brandenburg, vom 30. Nov. 1359.

In nomine domini. Amen. Anno nativitatis MCCCLIX. prima die mensis Decembris, hora nona vel quasi indictione, XII., pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini, domini Innocentii pape VI. anno septimo in castro ecclesie Brandenburgensis, honorabilibus viris, dominis Thiderico preposito pluribusque canonicis aliis ejusdem ecclesie Brandenburgensis ac testibus subscriptis presentibus, reverendus pater Thidericus, predictae ecclesie Brandenburgensis epi-



leopus literas in papyro conscriptas sigillo rubro rotundo Ludovici Romani, marchionis Brandenburgensis tergo tenus affixo sigillatas, domino Alberto de Thumen, plebano nove civitatis Brandenburgensis visas et lectas, exhibuit nullas alias, quam presentionis literas ipso die beati Andree apostoli proximo preterito, se afferens interrogatus recepisse pro parte dicti plebani nove civitatis Brandenburgensis super verbo scilicet Presentamus in dictis literis contento et super dato eorundem mentio facta fuerat de jure ipsius plebani protestando. Quarum literarum per me, notarium subscriptum, in formam publicam redigendarum tenor talis est: Precedente salutatione amicabile et sincera, jam dudum vacante quodam altari per mortem magistri Pauli bone memorie, sito in ecclesia parochiali civitatis nove Brandenburg et in honorem beate Catherine et Nicolai consecrato, cujus patronatus ad nos spectare dignoscitur, discretum virum, Conradum Mildenhower, capellanum nostrum dilectum, reverentie vestre presentamus affectuose rogantes, quatenus eidem ejusdem altaris accessum conferatis, administrationem jurium spiritualium et temporalium altaris supradicti committendo, in quo nobis benevolentiam et amicitiam exhibeatis specialem, voluntatem vestram de premissis nobis rescribentes. Datum in antiqua Berlin, anno domini MCCCLIX. die beati Andree. Acta sunt hec anno, die mense, hora, indictione, pontificatu et loco quibus supra, presentibus discretis viris, dominis: Hinrico, officiali curie Brandenburgensis, Thiderico, plebano in Wottermarke, et Petro dicto Garnekoper, altaris in nova Brandenburg, testibus ad premissa specialiter requisitis.

Et ego Christianus de Nienborch, clericus ejusdem ecclesie, publicus imperiali auctoritate notarius, datarum literarum exhibitioni, protestationi aliisque omnibus predictis una cum prenominationis testibus interfui, dictas literas et sigillum affixum legi, vidi et perspexi, eas transcribendas in hanc formam publicam redigendo rogatus.

Nach einer Copie im ältern Copiarie.

**CCLXIV.** Heinrich päpstlicher Legat schreibt an den Bischof von Brandenburg und die Präpöste zu Brandenburg und Leitzkau wegen eines Geldbeitrages zur päpstlichen Cammer, am 4. Dez. 1359.

Hinricus, dei gratia episcopus Rossenensis, per reverendum in Christo patrem ac dominum, dominum Philippum miseratione divina Cavallicensem episcopum, apostolice sedis nuncium auctoritate domini nostri pape ad provinciam Magdeburg. destinatus, reverendo in Christo patri ac domino, domino Brandenburgensi episcopo nec non honorabilibus viris dominis in Brandenburg et Lizke prepositis ad exigendum et colligendum procuraciones biennales impositas per dictum dominum Philippum episcopum deputatis salutem in domino. Ut singulis et omnibus, qui solverunt primam procuracionem biennalem per sedem apostolicam impositam sub termino per vos assignato vel ante instans festum purificationis beate Marie virginis adhuc persolverent terminum secunde procuracionis persolvende, ne clerus gravetur continuare et prorogare usque ad festum assumptionis beate Marie virginis exclusive proxime affuturum, possitis auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa, de qua nuper apud vos in castro Seyeser constituti fidem vobis fecimus sufficientem, confidemus per presentes. Et si per aliquas literas vestras alias videamur auctoritate apostolica in hac parte nobis commissa, detrahere, videlicet quod nos instans festum purificationis beate Marie virginis predictum singulos non solventes pro absolute, dispensatione remittere et destinare mandavimus et mandamus,